198

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

BRONCHOCELE.

Brodbelt (F.R.)

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

BRONCHOCELE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

Academiæ Edinburgenæ Præfecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu, et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

FRANCISCUS RIGBY BRODBELT,

Jamaicensis,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTR.
SOCIET. SPEC. EDIN.
ET
SOCIET. MED. LOND. SOC.
NEC NON
COLLEG. CHIRURG. LOND. SOD.

SURGEON GENERAL'S OFFICE LIBRARY.

"*Non eſt vivere, ſed valere vita.*"—MART.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCIV.

PRINCIPIO,

THOMÆ STALLARD PENOYRE, ARMIGERO,

PRÆFECTURÆ HEREFORDENSIS

NUPER VICECOMITI,

ATQUE

NOSOCOMIORUM

DIVI THOMÆ, INFANTUM EXPOSITORUM

ET

MAGDALENENSIS,

QUÆ LONDINI SUNT,

MODERATORI;

VIRO

QUO NEQUE BENEFICENTIOREM

NEQUE MELIOREM

USQUAM INVENIES;

QUI, PER MULTOS ANNOS, VIXIT

INOPIBUS AMICUS, ET AMICIS CHARUS;

QUIQUE

SE, EX INFANTILI ÆTATULA,

LONGE A PARENTIBUS PEREGRINANTEM,

PATRIO QUASI AMORE PROSECUTUS EST:

DEIN,

PRINCIPIO,

THOMÆ STALLARD PENOYRE, ARMIGERO,

PRÆFECTURÆ HEREFORDENSIS

NUPER VICECOMITI,

ATQUE

NOSOCOMIORUM

DIVI THOMÆ, INFANTUM EXPOSITORUM

ET

MAGDALENENSIS,

QUÆ LONDINI SUNT,

MODERATORI;

VIRO

QUO NEQUE BENEFICENTIOREM

NEQUE MELIOREM

USQUAM INVENIES;

QUI, PER MULTOS ANNOS, VIXIT

INOPIBUS AMICUS, ET AMICIS CHARUS;

QUIQUE

SE, EX INFANTILI ÆTATULA,

LONGE A PARENTIBUS PEREGRINANTEM,

PATRIO QUASI AMORE PROSECUTUS EST:

DEIN,

DEIN,

ANDREÆ DUNCAN, M.D. S.R.S. EDIN.

ILLUSTRISSIMO GEORGIO

PRINCIPI SCOTIÆ

MEDICO,

MEDICINÆQUE THEORETICÆ

IN ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORI;

TUM QUIA,

ANIMO IN HUMANUM GENUS

BENEVOLENTISSIMO,

SCIENTIAM MEDICAM,

ET SCRIPTIS CELEBERRIMIS,

ET PRÆLECTIONIBUS UTILISSIMIS,

INSIGNITER AMPLIAVIT;

TUM

OB EXIMIAM LIBERALITATEM

QUA SE DOMI

NUNQUAM NON EXCEPIT:

DENIQUE,

DENIQUE,

BENJAMINO BELL, S. R. S. EDIN.

CHIRURGO INTER PRIMOS PERITISSIMO;

PROPTER

ARTEM CHIRURGICAM,

INGENIO, MANUQUE,

EGREGIE EXCULTAM ET AUCTAM,

ATQUE ITA,

SCRIPTIS EJUS LAUDATISSIMIS,

DILUCIDE TRADITAM,

JURE CLARISSIMO;

QUI

SE, DUM APUD EUM EDINBURGI

DIVERSABATUR,

NON SOLUM IN HAC ARTE

BENIGNISSIME INSTITUIT,

SED SUMMA BENEVOLENTIA ET COMITATE

SEMPER TRACTAVIT:

HANC QUALEMCUNQUE DISPUTATIONEM

SUAM INAUGURALEM,

GRATI ANIMI, SUMMÆQUE OBSERVANTIÆ

INDICIUM,

SACRAM ESSE VOLUIT

FRANCISCUS RIGBY BRODBELT.

Quis tumidum guttur miratur in ALPIBUS? Aut quis
In MEROE craſſo majorem infante mamillam?
Cærula quis ſtupuit GERMANI lumina? Flavam
Cæſariem, et madido torquentem cornua cirro?
Nempè quòd hæc illis natura eſt omnibus una.

JUVEN. Sat. xiii. *v.* 162.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

BRONCHOCELE.

PROOEMIUM.

§ I. MEDICINAM a prima ferè hominum origine, ab imperitiſſimis quidem gentibus, excultam eſſe, minimè mirandum eſt; præſertim cùm, quantùm ad plurimos morbos arcendum et curandum valeat, quibus naturali imbecillitate obnoxium eſt fragile et ca-

ducum hominum genus, nobiſcum animo reputemus.

II. Plurimis profectò morbis opportuna exiſtunt humana corpora; quippe quæ, ut omnium machinarum fabricâ et conſtitutione abſolutiſſima ſunt, ita delicatiſſima ſint et quàm maximè complicata. Hac re cognitâ, mirandum eſt potiùs, nos non in morbos adhuc procliviores eſſe, et omnino impares iis injuriis reniti, quibus, dum vivitur, obnoxii, quotquot eunt dies, exiſtimus.

III. Tam delicatis noſtris corporibus, tot tantiſque ab omni parte periculis, incolumitas, qua fruimur, provido ſummo rerum opifici tribuenda eſt: qui eo intuitu, quo perſpicit præterita, præſentia, ipſa imo futura omnia, proſpiciens quantis undequaque malis pateant fluxa noſtra corpora, artificioſo opere et divino nos ita fabricatus eſt; ut vi quadam inſitâ, mirandâ

randâ potiùs, quàm verbis definiendâ, quæ obſtat ne nos laceſſant hi morbi, et contra illos, quibus plectamur, renititur, vita perſæpe per multa rerum diſcrimina perducatur, donec annoſi, et tardè obrepente ſenectute confecti, fato concedamus.

IV. Hæc (III.) vis, quam nobis largitus eſt rerum artifex, obſtat, quò minùs remotiores cauſæ, ex quibus utique proveniunt multi morbi, malo noſtra corpora afficiant. Quippe enim, ni talis humanis corporibus ineſſet vis, morbis multo ſæpius afficerentur, imo interimerentur potiùs, intemperati ii, qui rationi, modeſtiæ, ipſique demum corporum fabricæ, quæ profectò omnia oſtendunt homines ad ſobrietatem natos eſſe, parùm obtemperantes, voluptatibus et luxuriâ diffluunt ; et, modeſtiâ pudicitiâque incaſſum reclamantibus, hibernas etiam noctes cum Baccho et Venere pergræcantur.

V.

V.—1. Talem (III.) noſtris corporibus ineſſe vim, multa ſunt, quamobrem opinemur.

2. Hujuſmodi vi, veriſimiliorem enim neſcimus aliam, calor et frigus, quæ, ille incitando, hoc verò ſedando, plurimùm profectò in animantium corpora pollent, non, niſi perquam intenſa ſint, incolumitatem nedum vitalitatem lædere poſſunt.

3. Quinimo, ni talis ineſſet vis, motus et quies, alimenta, ſomnus et vigilia, excretiones ipſæ et retentiones, morbos identidem efficerent.

4. Huc accedat mira ea vis, qua vivæ corporum noſtrorum partes putredini renituntur. Si enim caſu aliquo iniquo pars ulla corporis emortua evaſerit, partes illico vicinæ, ob vim inſitam, medicina quidem nondum adjuvante,

ſæpe

ſæpe ei uſque eò renituntur, ut eam a ſe priùs ſeparent, quàm aliquid indè vitii ceperint.

VI. Verùm, etiamſi hæc (III.) vis morbos, cùm neque magna in eos corporibus inſit proclivitas, neque cauſæ, quæ eos concitant, validæ in ſanitatem conſpiraverint, ſæpenumero arceat; tamen nulli hominum generis continuâ, dum vivitur, corporis integritate frui conceditur. Omnibus, etiam ſaniſſimis, contingit dolere interdum et ægrotare: omnes, etiam integerrimi vivaciſſimique, ſeriùs ociùs, morbis ſeniove moriuntur.

VII.—1. Neque ſemper autem, neque ubique profectò gentium, iidem plané morbi humanum genus laceſſunt. Cuique tempori, cuique ætati, cuique demum regioni ſunt morbi, magna ex parte, ſui. Hiems et ver inflammatione inſignia ſunt; notabilia autem æſtas et autumnus putredine. Hi morbi in-

fantes

fantes teneros pueroſque, ex improviſo, inſiliunt interimuntque; cum illis colluctantur juvenes et adulti: alii ætate medios et provectos invadunt; alii gravant ſenes exſuccos, incurvatos, debiles: nonnulli eos, qui ardoribus propinqui ſolis extorrentur, implicant; nonnulli eos, contrà, corripiunt, qui penè torpent et obrigent frigore.

2. Quinetiam habitudinibus corporis, cuique ſui, ſunt morbi. Robuſti et repleti inflammationi et ſanguinis profluvio opportuni, præ cæteris, ſunt; hydropi, contrà, atque putridis morbis patent potiſſimùm ii, quorum vires ſive nimia qualibet exinanitione, ſive alia quacunque cauſa, multùm labefactatæ fuerint.

3. In morbos denique, in quadantenus ſuos uterque, ſexus proclives ſunt. Fœminis menſes modò redundant; modò, pubeſcente jam virgine,

virgine, juſto ſeriùs intus remorantur; modò, poſtquam ſemel complurieſve effluxerint, aut ægerrimè denuo proveniunt, aut penitùs ſupprimuntur: contra ea, mares haud rarò, ferme nunquam autem fœminæ, alii attonantur ſubitò; alii graviſſimis articulorum doloribus laborant; alii, demum, animo fictis malis demiſſo contriſtantur.

VIII. *Bronchocele*, de qua diſputare mihi in animo eſt, cuidam regioni et ætati, magna ex parte, imo ferè ex toto, propria eſt. Hanc ob rem, ex quo tempore mihi, quàm ſæpe ex his cauſis oriatur, videndi oblata eſt occaſio, mecum de ea, ſimul atque ſummos medicinæ honores peterem, quædam ſcribere, et in *Diſputatione Inaugurali* in medium proferre, conſtitui.

IX. His (I.—VIII.) præmiſſis, nunc ad inceptum, pro virili parte, exequendum progrediemur.

diemur. Priùs autem, quàm ad alia et majora pergamus, hìc loci præfari, quibus ſignis definiatur morbus, opus eſt.

DE DEFINITIONE.

X. In *Generibus Morborum* CULLENI, Bronchocele, ex toto, ſed conſultò forſitan propter rationem operis, prætermiſſa eſt; neque profectò ulli auctores, quod ſcio, præter SAUVAGESIUM et VOGELIUM, aliquid de ea memoratum habent.

XI.—1. Eam enimvero SAUVAGESIUS, ſed parùm, ut nobis videtur, accuratè definivit hiſce verbis, "*Excreſcentia, vel tumor ſcirrhoſus anticæ partis colli* *."

2. VOGELIUS Bronchocelen in claſſe *Vitiorum* et ordine *Tumorum* poſuit; et definivit, "*Tumorem*

* Vid. CULLEN. *Synopſ. Noſolog. Method.* Tom i. p. 12.

" *Tumorem glandulæ thyroideæ* *." In hac verò definitione, licèt alteri profectò anteferenda ſit, aliquid tamen abeſt, quandoquidem, quali naturâ ſit tumor, in ea non comprehenſum eſt. Noſtrâ opinione, *indolentem et ægrè ſuppurantem* ſuperdixiſſe VOGELIUM decuit.

XII. Bronchocele poteſt igitur, ut nobis ſaltem videtur, ſic definiri, " *Tumor glandu-* " *læ thyroideæ indolens et ægre ſuppurans.*" In hac definitione neque abeſt, forſan, aliquid neque redundat: et ſedes enim et indoles tumoris comprehenduntur; neque ſuperdictum eſt aliquid, quod non ad rem pertinet.

HISTORIA MORBI.

XIII. Hic morbus, etiamſi plerumque Bronchocele appelletur, aliis tamen nominibus in-

 ſignitur,

* Vid. id. p. 205.

ſignitur, *boccio*, velut, aut *botio*. Ab HELVETIIS *gauter* nominatur; a GALLIS *goitre*. Ab aliis *hernia gutturis* vocatur. Quinetiam, ei nominibus ſunt *guttur tumidum; trachelophyma; exechebronchos; gongrona; hernia bronchialis;* et horriſona ſimilia alia. HEISTERUS, neque, nobis judicibus, ineptè, *tracheocelen* appellavit.

XIV. Bronchocele magnæ antiquitatis eſt: e vetuſtioribus enim ſcriptoribus, haud minùs frequentem primo redemptæ hominum generis ſalutis ævo fuiſſe, apparet, quàm noſtro tempore.

XV. Vetuſtiores autem ſcriptores omnes, qualis naturæ eſſet hic morbus, non bene intellexiſſe videntur. Horum enim nullus, ne quidem CELSUS * ipſe, in glandulâ *thyroideâ* tumefactâ

* At in cervice, inter cutem et aſperam arteriam, tumor increſcit, (βρογχοκηλην, Græci vocant), quo, modò

tumefactâ conſtitiſſe exiſtimavit. Perilluſtris etiam hic auctor, et perelegans quidem, huic non inſidere glandulæ putâſſe videtur. Eum perleviter tantummodo et obiter perſtrinxit PAULUS ÆGINETA; et profectò ALBUCASIS * omnium primus, quantùm ſcio, præclarè intellexit, et intellectum ſic explicavit, ut aliquid hinc commodi poſt ſe nati medici caperent.

XVI. Cùm certè cognitum nunc habeant medici, bronchocelen in glandula *thyroidea* conſiſtere, a re noſtra haud alienum erit, de hac pauca, hìc loci, dicere.

XVII. 1. Glandula *thyroidea* in *tracheam*, inferiùs tamen paulo, quàm infima *laryngis* cartilago,

dò caro hebes, modò humor aliquis, melli aquæve ſimilis, includitur: interdum etiam minutis oſſibus pili immiſti.

CELS. *de Medic.* Lib. vii. cap. xiii.

* Vid. FRIEND. *Hiſtor. Medicin.* p. 279. edit. in 12mo. LUGDUN. BATAV. ann. M,DCC,XXXIV.

cartilago, ſita eſt ; et duobu conſtat *lobis*, anguſtis quidem, ſed longitudine mediocri, et formâ lunam ſimulantibus ; qui, a media quaſi parte, ſibi invicem, intermediâ aſperâ arteriâ, connectuntur.

2. Hæc glandula, quæ profectò cæteris glandulis, quibus ſecernatur ſaliva, firmior eſt, iiſdem quoque colore abſimilis eſt ; quippe cùm ei ſit ſaturatior rubor.

3. Quali fabricâ ſit, et utrùm ei ſit, necne, ductus excernens, exploratè comperiri peritiſſimi, et exercitatiſſimi quidem *anatomici*, imo ii qui vaſcula cadaverum immiſſis liquoribus implendi ſolertiâ cæteris anteunt, ſummopere et certatim conati ſunt. Operam autem perdiderunt : nam nondum, qualis ei ſit fabrica, incidendo compererunt ; nequedum profectò potuerunt, ductu, necne, inſtruatur, quo ex ea excernatur ſecreti aliquid, ſubtiliſſimis liquoribus

liquoribus quàm peritiſſimè immiſſis cognoſcere. Cùm ita ſit, utrùm ex ea, necne, exeat iſtiuſmodi ductus, affirmatè dicere non poſſumus. Hoc, neque profectò amplius, affirmare audemus, ductum, ſi qui ſit, quàm exiguiſſimum eſſe, cùm oculiſſimo quidem *anatomico* nondum conſpectus fuerit. Enimvero non defuerunt, qui talem ductum perſpexiſſe opinati ſunt; ſed viſam venam, pro præoptato ductu quem non viderant, præproperè habuerunt.

4. Huic (XVII. 1.) glandulæ, ut fert SABATIERUS, inſunt veſiculæ numero multæ; magnitudine autem diſſimiles, et oleoſo ſubflavoque plenæ liquore, qui, ut ille putat, partes vicinas illinat. Ei, porrò, inhærent, ut adjicit idem auctor, glanduloſæ carunculæ plurimæ; quarum autem uſum, quantum nobis innotuit, nemo hucuſque compertum habuit.

5. A. Quinetiam, glandulæ *thyroideæ* ſanguis plurimis rivis abundè ſuppeditatur; qui cùm a primis ramis arteriarum *carotidum*, tum a ramis *ſubclavianarum*, diducuntur, et *arteriæ gutturales* appellantur, *ſuperiores* nempe et *inferiores*. Harum interventu arteriarum plurimas inter ſe conjunctiones habent *carotides* et *ſubclavianæ*.

B. Venæ, quibus ſanguis ab hac glandula devehitur, ſeſe partim in *jugulares internas*, partim in *ſubclavianas* deplent.

6. Plurimis, inſuper, bibulis inſtruitur hæc glandula vaſis, quæ in ſuperficiem ejus excurrunt, et in quæ immiſſus in ejuſdem cellulas aër adigi poteſt. Hæc vaſa ex glandula tranſeunt, ab utraque aſperæ arteriæ parte; horumque alia in truncum vaſorum bibulorum hiant, qui in venas dextras, *ſubclavianam* nimirum et *jugularem*, ſeſe deplet, alia in *ductum thoracicum*, a ſiniſtra parte, et paulò tantummodo

modo antè, quàm ipſe hic in venam ſiniſtram *ſubclavianam* ſemet exoneraverit.

7. Nervi, qui glandulæ *thyroideæ* ſuppeditantur, ex ramo quinti paris enaſcuntur. Cæterùm haud rarò plurimi inſuper ſurculi in eam proficiſcuntur ex primo et ſecundo cervicis nervorum paribus.

XVIII. Bronchocele perrarus eſt morbus; et profectò unus ex iis, qui, propterea quòd in longum trahi ſolent, vetuſti ſeu longí appellantur.

XIX. Ubique orbis terrarum interdum apparet; ſed, præ cæteris regionibus, in HELVETIA. Cæterùm ne hìc quidem incolas deformes æquè ubique reddit. Qui enim eas incolunt valles, quas RHODANUS irrigat, aut AUGUSTAM SALASSORUM *, aut agrum TIROLEN-

* Hod. AOSTE.

LENSEM, ii multo magis, quàm cæteri HELVETII, ſtrumoſi ſunt.

XX. 1. Infantes, imprimis autem fœminæ, et utriuſque ſexûs infirmi potiſſimùm et debiles, præ cæteris, bronchocele obnoxii ſunt.

2. Inter primum ætatis annum et decimum incipit hoc malum : poſt hunc autem elapſum, nunquam, niſi fœminas, invadit ; et eas quidem rariſſimè.

XXI. Hic verò morbus, quibus in regionibus remotiores cauſæ, unde provenit, minùs pollent, neque ipſe in tantam gravitatem increſcere ſolet, aliquanto ſeriùs incipit. Ita eſſe conſtat ex DORVENTANIS * ; qui profectò bronchocele, leviore autem, aliquantò pòſt afficiuntur, quàm decimum ætatis annum compleverint.

XXII. Neutiquam

* Hod. *the people of Derbyſhire.*

XXII. Neutiquam inter eos bronchocele enumeranda eſt morbos, qui a parentibus derivati, in prole reviviſcunt. Ita eſſe, eo conſtat, quòd eorum etiam alienigenarum, qui iis in locis peregrinantur, imprimis ſuprà (XIX.) memoratis, ubi inſigniter viget hic morbus, liberi haud ſecùs, ac ii indigenarum, deformari ſolent; dum ii ſtrumoſi, a quibus ex natali ſolo in ſalubriora migratum eſt, ſanos omnia liberos ſimulque aſpectu pulchriores peregrè gignunt pariuntque.

XXIII. Tumor initio perexiguus, magnitudine paulatim lentèque creſcit, ſed nihil interea doloris movet. Adultâ ætate, lentiùs adhuc augeſcit; neque profectò rarò tum omnino conſiſtit. Cæterùm, ad molem quod attinet, multùm utique variat in diverſis hominibus. In his nunquam magnopere increſcit; in illis, perbrevi quidem tempore, ſe in magnitudinem haud mediocrem attollit.

XXIV, Tumores, de quibus hìc diſputatur, poſſunt, me judice, in duo diduci genera; quorum unum eos comprehendit, qui aſperæ arteriæ quàm firmiſſimè accreſcunt, et qui, ut magis exigui ſunt, ita etiam duriores; alterum autem eos pendulos tumores, qui, ab una tantummodo parte, eaque perexili, arteriæ modò dictæ cohærentes, atque, a parte inferiore, ampliores, palearia demiſſa gallorum Numidicorum, qui ira exæſtuant, perquam, ut diſertè notavit ALBUCASIS *, ſimulant.

XXV. Tumores poſterioris (XXIV.) generis, in majorem, quàm ii prioris, molem creſcunt; ſed, quippe cùm molliores ſint, neque cum aſpera arteria adeo cohæreſcant, minore eos, quorum cervicibus ſuperincreſcunt, detrimento et ægritudine afficiunt.

XXVI. In nonnullis tumoribus ſtrumoſis, iis potiſſimùm ſecundi (XXIV.) generis, duo

lobi,

* Vid. FRIEND. *Hiſtor. Medicin.* pag. 279.

lobi, iis *thyroideæ* glandulæ ipſius quadantenus conſimiles, conſpicui ſunt. Cæterùm haud rarò, in tumoribus utriuſque (XXIV.) generis, ne minima quidem glandulæ ſuperſtat ſimilitudo. Si quando, quod profectò rariſſimè accidit, unus tantummodo glandulæ *lobus* ſtrumâ afficiatur, integro interea altero, cervix, a parte morbida, intumeſcit, ſed, a parte integra, manet naturalis.

XXVII. Incipiente hoc malo, tumor mobilis eſt, aut tactu flaccidus. Poſtmodum, labentibus ætatis annis, firmior quotidie fit et loco magis fixus, donec perquam induruerit: licèt verò ita plerumque ſit, tamen nonnulli ex maximis quidem hujuſmodi tumoribus, procedente tempore, haud multùm indureſcunt.

XXVIII. 1. Bronchocele, niſi cùm in molem ingentem increverit, haud multo ſtrumoſum

ſum incommodo afficit. Enimvero, ex quo tempore multùm ſupercreverit, plùs impedit minùſve, ne anima naturaliter reciprocetur: verùm interea tamen cæteræ functiones nihil omnino a ſanitate declinant.

2. DORVENTANI autem, cùm primùm eorum faucibus ſuperincreverit hoc malum, feruntur magna ſpirandi difficultate vexari; quæ omni quidem tempore moleſta eſt, imprimis autem iis cùm diſtillatione corripiuntur, atque cùm incitato pede currunt aut ambulant. Quinimo poſtmodum irrauceſcere dicuntur, ſimul atque tumor multùm augeſcit.

3. Vera ſi ea ſint, quæ (XXVIII. 2.) dicuntur, concludendum eſt, DORVENTANIS, quàm HELVETIIS, ſpiritum magis impediri ex tumoribus ſtrumoſis; quod imprimis mirandum eſt, cùm præſertim tumores, quibus illi indecori

ſunt,

ſunt, magnitudine ſint multo minores, quàm ſunt ii, quibus hi deformantur *.

4. Utcunque verò hæc (XXVIII. 2. 3.) ſint, denegari non poteſt, quin ſtrumæ, ſimul atque in molem haud mediocrem intumuerint, ſpiritum magnopere impediant; eæ autem, præ cæteris, quæ, radicibus altiùs quaſi defixis, aſperæ arteriæ firmiter concreverint. Cæterùm

* Nobiſmetipſis oblata, prope SEDUNUM in VALLE RHODANI, eſt occaſio ſermocinandi cum muliere, quæ certiores nos fecit, ſe ex bronchocele, quæ collo, ad maximam, quam videramus, magnitudinem ſuperincreverat, nihil, præterquam quod gravabatur pondere, detrimenti capere. Tale onus, quò eam minùs gravaret, alterutri ſubinde humero ſuperimponere ſolebat; id quod factu facillimum erat, quippe cùm mollicellus eſſet tumor et pendulus.

Sæpenumero, dum in HELVETIA eram, vidi fœminas, quarum colla bronchocele profectò deformaverat; ſed tantùm aberat ut incommoda eſſet, ut alacres atque manu et pede promptæ, domeſtica aliaque, quibus occupabantur, munera perficerentur. Quinetiam, mulier bronchocele deformis, quæ, vere proximo, Valetudinarium EDINBURGENUM ventitabat, et naturaliter alimenta deglutire et animam reciprocare poterat.

terùm ſæpenumero permultùm augeſcere, neque tamen ideo magno detrimento ſtrumoſum afficere, ab omnibus concedendum eſt.

XXIX. Goochius perhibet, ex tumore ſtrumoſo utcunque magno, hominem nunquam, quantùm ſcit, in periculo verſari ; licèt indè, imprimis cùm ſimul in eum conſpiret angina, multum moleſtiæ capiat. Duo enimvero hæc mala ſe, utrumque alterum, multo graviora reddunt ; neque enim, ut certiores nos facit Sharpius, unquam in angina, niſi eodem tempore æger bronchocele afficiatur, *bronchotomiam* facere opus eſt.

XXX. Coxius * fert, ſe, dum in Helvetia erat, propriis oculis tumores ſtrumoſos vidiſſe ; quorum alii juglandibus magnitudine, alii pani triticeo ex quarta modii parte cocto æquales

* Vid. Cox. *Travels in* Switzerland.

æquales erant, alii demum magnitudine inter hos medii.

XXXI. Glandia, de quibus disputatur, rarissimè in carcinoma degenerant; sed, si casu iniquo, aut causâ qualibet aliâ vulnerata sint, ulcera superveniunt curatu difficillima, imo interdum insanabilia. Cæterùm, si nihil tale acciderit, glandulosi homines vix minùs, imo plerumque ne vix quidem, quàm omnia sani, vivaces sunt.

XXXII. HUNTERUS, medicus apprimè eruditus et præclarus, ait, si glandulosis puellis menses constituto naturâ tempore erumpant, et postea ordinato circuitu ritè profluant, morbum sponte decedere. Asserit, contrà, PROSSERUS *, tumores strumosos nihil omnino menstium

* Vid. PROSSER. *Treatise on the cure of the Bronchocele.*

menſium proventu in melius mutari, ſed, ut antea, magnitudine increſcere.

XXXIII. Non ſolùm hujuſmodi glandia ipſa, cùm multùm increverint, ſed facies etiam, haud rarò purpuraſcunt quaſi, ſeu liveſcunt.

XXXIV. Etiamſi ii, qui bronchocele deformes ſunt, valetudine alioquin ſecundâ plerumque fruantur, et ſolitis vitæ muneribus benè perfungantur; tamen interdum debiles perquam evadunt et torpidi, imo etiam, ex toto, fatui *.

XXXV.

* Auctores, qui de bronchocele ſcripſerunt, opinantur hanc eſſe ſignum primarii morbi, quem *cretiniſmum* appellant; hanc opinionem ut acciperent, eo fortaſſe inducti, quòd in iiſdem regionibus in eaſdem fœminas ab utriſque ſimul conſpiratur.

Initio nobis in animo erat conari, pro virili parte, oſtendere, bronchocelen neutiquam *cretiniſmo* effici, ſed potiùs hunc efficere. Verùm propriis obſervationibus parùm

XXXV. Bronchocele eſt a nonnullis medicis in *accidentalem* et *naturalem* diducta; quarum

parùm confiſi, eoque magis, quòd, hac de re, auctores diuturniore experientiâ docti ex toto filuerunt; atque timentes, ne hujuſmodi diſquiſitione noſtra diſputatio nimis in longum traheretur, mutato animo, pauca tantummodo ſubnotare meliùs putavimus.

Cùm *cretiniſmus*, cujus ſigna numero quidem plurima * ſunt, gravior, quàm bronchocele, morbus ſit; ita, re nondum animo ſatis volutata, pleriſque levior hic morbus gravioris illius ſignum videtur.

Ut in aliam et contrariam prorſus opinionem iniremus, idcirco adducti ſumus; quod *cretiniſmus*, glandulâ *thyroideâ* non priùs tumefactâ, nunquam incipit, dum glandula *thyroidea* ſæpenumero, imo plerumque, intumeſcit, nullo prægrediente *cretiniſmo*.

Si bronchocele eſſet ſignum *cretiniſmi*, nunquam, niſi ut hujus comes, appareret. Longe autem aliter res accidit; haud enim rarò collocuti ſumus cum iis, quibus, licèt bronchocele gravarentur, nihilo tamen minùs erat acerrimum ingenium.

Quibus in regionibus bronchocele frequens eſt morbus, in iiſdem itidem frequens eſt *cretiniſmus*: vel, ubi cauſæ ſunt remotæ, quæ, ad alterutrumque morbum concitandum multùm pollent, ibi utrique ſanè morbi frequenter accidunt.

His

* Vid. FELICIS PLATERI, lib. i. pag. 38.

quarum illa ictibus, vagitui, vociferationi, tussi vehementi, aliisque consimilibus supervenit; hæc autem nulla vi externa efficitur.

XXXVI. Etiamsi is non sim, qui denegem, ex impacto ictu glandulam *thyroideam* primùm inflammationem capere, cui deinde bronchocele superveniat; tamen usque eò incredulus sum, ut, utrùm hujusmodi tumor tussiendo, cachinnando, vociferando, vagiendove unquam concitetur, necne, animo dubius sim; cùm præsertim hæ causæ nunquam, per se, valeant ad istiusmodi tumorem efficiendum, nisi iis in regionibus, in quibus indigena est.

XXXVII.

His dictis, bronchocele et *cretinismus*, nobis judicibus, duæ species, *mitior* nempe et *gravior*, unius et ejusdem generis habeantur. Illâ, *mitiore* nimirum, glandula sola *thyroidea* malè se habet: hac, graviore scilicet, non solùm intumet glandula; sed etiam vis interim animi, ad desipientiam usque conturbatur.

XXXVII. Cùm ita ſit, veri quàm ſimillimum eſt, has (XXXVI.) cauſas neutiquam primarias eſſe, unde bronchocele oritur. Verùm iis tamen, hunc morbum ex toto, at immeritò, attribuerunt nonnulli medici; eo fortaſſe adducti, quòd interdum brevi, vel ſaltem haud multò, pòſt inceperit, quàm ex unâ ex his cauſis aliâve aliquid detrimenti glandula *thyroidea* ceperit.

XXXVIII. Rem ita (XXXVII.) eſſe, minimè profectò mirandum eſt, ſi in memoria teneamus, quantâ ignorantiâ non ſolùm vulgus hominum, ſed etiam medici, verſetur iis quidem in morbis, quos videndi quotidie ferme offertur occaſio. Sæpenumero non poteſt iis, in quibus a parentibus inſunt ſcrofulæ ſemina, perſuaderi, genu tumorem, quo laborant, ex cacoethe univerſi corporis, et non ex intentione, eâque levi, cui perperam attribuunt, originem duxiſſe. Quinetiam phthiſi tabeſcit nulla mulier, quin ſuppreſſionem menſtruorum,

rum, quæ, progrediente morbo, ſupervenerit, effectricem morbi cauſam exiſtimet.

XXXIX. 1. Si bronchocele (XXXV.) *accidentalis* tam ſæpe, quàm putârunt nonnulli, appareret, quid, obſecro, obſtaret, quò minùs, in omnibus æquè regionibus, hominum fauces interpremeret; cùm præſertim, ubique terrarum, cauſæ (XXXV.) quæ eam concitare feruntur, æquè ferme ſæpe exiſtant? In HELVETIA, ubi, præ cæteris regionibus orbis terrarum, hic tumor fauces interſtringit, nemo profectò hominum quiſquam *accidentalem* hunc eſſe opinatur.

2. Cùm igitur, ubique terrarum, commune hominum ſit (an virtus autem ſit an vitium, rei noſtræ nihil intereſt) interdum cachinnari, vociferari, et tuſſire; neque tamen, ubique gentium, bronchocele incolarum faucibus ſuperincreſcat: concludere fas eſt, unam tantummodo bronchocelen eſſe, nempe *naturalem*; neque

neque exiſtere *accidentalem*, præter quam ictus faucibus graviter impacti concitaverint.

CAUSÆ REMOTÆ.

XL. Ex remotis hujus mali cauſis, aliæ obnoxium malo corpus reddunt; aliæ, obnoxio jam corpori admotæ, malum excitant. Illæ, horridulo medicorum ſermone, *prædiſponentes*, *occaſionales* autem hæ, appellantur. De utroque genere, ut APOLLINAREM laurum petentibus mos eſt, nobis fuſiùs diſputandum; et primùm

DE PRÆDISPONENTIBUS.

XLI. Ad hoc malum, æquè ac morbum quemlibet, proclivitas pendet ex ſpeciali diverſarum corporis partium fabrica; ex mirando conſortio, quod inter has partes intercedit; potiſſimùm

potiſſimùm autem ex conſenſu acerrimo, quod cerebro eſt cum cætero corpore.

XLII. Cùm ætate teneri et irritabiles, præ cæteris, ſint bronchocele obnoxii; *irritabilitas*, utpote quæ committat, ut corpus quibuſlibet incitantibus faciliùs afficiatur, cauſa, ut nobis videtur, habenda eſt, quæ opportuna huic malo corpora facit.

XLIII. Rem ita (XLII.) ſe profectò habere, eo adhuc magis conſtat; quòd non ſolùm infantes potiſſimùm hoc malo deformantur; ſed ex his etiam, præ cæteris, fœminæ delicatiſſimæ, quippe quæ maribus ferè irritabiliores ſint.

XLIV. Multa, ex quibus, infantes, præ teneris etiamnum corporibus, morbis cujuſcujus regionis propriis opportuniores eſſe, quàm ætate firmiores, appareat, hìc loci dicere, me-

herculè

herculè non opus eſt ; cùm præſertim ignoret nemo, infantes, quotquot eunt dies, cauſis malè affici, ex quibus adulti, atque ætate jam firmi, nihil omnino mali capiunt.

XLV. Bronchocele, ni in eam proclive corpus redderet irritabilitas, non infantes tantummodo, eoſque etiam delicatiſſimos, afficeret ; ſed, ſecùs atque accidit, etiam cùm robuſtiores ex iis, tum ætate provectiores, deformaret. Poſt autem decimum ætatis annum, quo tempore firmius multo corpus evadit, nunquam, ut ſuprà (XX. 2.) diximus, niſi forſan raras fœminas, teneritate et mollitie quadam corporis etiamnum perinſignes, tentat.

XLVI. Quum hoc malum ſæpenumero eo circiter tempore incipiat, quo proveniunt dentes ; veri profectò ſimillimum eſt, dentitionem infantes ei opportunos ideo facere, quòd, corpora

pora debilitando, eos ſolito irritabiliores reddit.

XLVII. His itaque (XLV.—XLVI.) cognitis, nihil, ut nobis videtur, quicquam eſt, quamobrem non concludamus, cauſam, quam ob cauſam hoc in malum cæteris procliviores ſunt teneri infantes, inſignem eſſe corporum irritabilitatem, propter quam incitantibus quibuſlibet tam aptiùs quàm graviùs afficiuntur.

XLVIII. His (XLI.—XLVII.) de cauſa prædiſponente dictis, proximum eſt, ut ubeberiùs itidem differamus

DE OCCASIONALIBUS.

XLIX. De cauſis, quæ bronchocele occaſionem præbent, plurimas enimvero conjecturas tam medici quàm phyſici ceperunt; neque

neque profectò, quænam ſint, etiamnum inter eos convenit. Hìc itaque loci, varias auctorum de his cauſis opiniones quàm maximè diſtrictè et diſpoſitè perſtringere, nobis in animo eſt.

L. Aquam ex nive et glacie liquefactis hoc malum concitare, multi opinati ſunt, etiamnumque opinantur. Nulla, enimvero, hac de re, opinio diutiùs latiùſque permanavit; nulla etiamnum ad vulgi, et haud ſcio an eruditorum etiam, animos magis penetrat. In hanc forſitan opinionem tamdiu tamque latè cùm ab imperitis tum a philoſophis itum eſt; eo quòd ALPINÆ gentes, quibus potus eſt aqua defluens ex cacuminibus quæ continuò nive albeſcunt, præ cæteris hominum generis, bronchocele deformantur.

LI. 1. Quod ſi hujus deformitatis efficiens eſſet aqua nivalis, tunc, in quo editiores aſcende-

remus regiones, eo frequentiorem videremus ; quippe cùm hìc, quàm alibi, incolæ, ex neceſſitate, hujuſmodi aquam pro potu, majore ex parte, adhibeant. Quinetiam, per totam HELVETIAM, incolæ, pars quorum potûs maxima aqua nivalis eſt, et qui, in nonnullis locis, ob pravam conſuetudinem, aliam profectò nullam adhibent, deformes eſſent.

2. LAPLANDICI, porrò, et ESQUIMOVIANI, quibus aqua, quam bibant, nulla ferme, præter nivalem, ſuppeditatur, bronchocele non deformantur ; dum hujuſmodi tumores haud rarò deturpant eos, qui SUMATRAM incolunt, etiamſi, præ calore propinqui ſolis, neque nivem neque glaciem unquam contemplentur.

3. Huc accedat, quòd, aquam nivalem neutiquam inſalubrem eſſe, ſatis periculo compertum eſt. COOKII enim, cui circa pectus erat BRITANNICUM robur, et qui orbem aquarum

ter

ter BRITANNICIS navibus amplexus eſt, ſocii navales, quanquam mari ſitim liquatâ glacie reſtinguere ſolebant, corporis nihilominus incolumitate fruebantur: "This melted ice (ait "PRINGELIUS, eques BRITANNICUS) was not "only ſweet, but ſoft; and ſo wholeſome, as "to ſhew the fallacy of human reaſoning, un- "ſupported by experiment *."

LII. Nonnulli egeſtatem, immunditiam, ignaviam, ebrietatem, et effrænatam libidinem exiſtimârunt bronchocelen concitare.

LIII.—1. Ex his (LII.) cauſis, tres primas, etiamſi iis utique regionibus exiſtant, quarum incolæ hac deformitate plectuntur, non tamen hanc efficere propterea opinamur; quòd in aliis itidem locis non accidit, ubi incolæ non ſolùm

* Vid. PRING. *Means of preſerving the Health of Mariners.*

ſolùm egeſtate et immunditia ſqualeſcunt, ſed etiam turpi ignaviâ ſolent torpeſcere.

2. A. Proximæ duæ (LII.) cauſæ bronchocelen efficere perperam, ut nobis videtur, et immeritò putantur : quippe enim, ſi utique efficiant, quare non latiùs patet malum ; et quamobrem plectuntur inſontes impuberes, qui neque vinolenti neque libidine flagrantes, nondum pergræcantur noctu cum æqualibus, nedum rem familiarem pene dilacerant ?

B. Verùm, licèt ebrietas et effrænata libido rectà bronchocelen non concitent, his tamen vitiis, imprimis vinolentiâ, parentes uſque eò ſolvantur et infirmentur, ut imbecilla proles ex his nata, præ firmiore ex continentibus et ſiccis parentibus, huic malo opportuna ſit *.

LIV.

* Un VALAISAN, obſervateur éclairé, m'a dit que les *crêtins* ou les *imbecilles* de ſon pays doivent, en majeure partie, leur nature dégradée à l'abrutiſſement bacchique dans lequel les auteurs de leur jours les ont procréés.

Le

LIV. Quinetiam, non defuerunt, qui ſcrofulâ * bronchocelen concitari opinati ſunt. Hi verò, quotquot fuerunt, opinione lapſi ſunt: quamvis enim tumefactam glandulam *thyroideam* glandulam ſcrofulâ vexatam aliquatenus referre concedatur, quædam tamen, neque ea parva, inter eos morbos diſſimilitudo intercedit.

LV.—1. Scrofula, ut inter omnes convenit, hæreditarius morbus eſt; atque eos, præ cæteris, vexat, qui ſub cœlo humido et mutabili vitam agunt.

2. Quod

Le petit peuple ne garde aucune tempérance dans la boiſſon, le vin y eſt a un vil prix; et comme il eſt à la fois lourd & violent, ſans avoir l'eſprit bienfaiſant du *Bourgogne*, il ſurprend le buveur & le rend furieux dans ſon délire amoureux. De ces conjonctions préparées par la ſtupidité, naiſſent des enfans informes & imbecilles. *Tableaux de la* SUISSE, ou *Voyage Pittoreſque*, Tom. viii. p. 351.

* Vid. FRIEND. *Hiſtor. Medicin.* p. 281.

2. Quod ad ſedem quoque, inter ſe diffident hi morbi. Bronchocele in ſola glandula *thyroidea* conſiſtit: contrà ſcrofula interdum glandulas conglobatas omnes, deinceps, deturpat; nunquam verò glandulas, quarum eſt ſalivam ſecernere, niſi ad ſummam ſævitiam ab ea perventum ſit.

3. Quin et, in ſcrofula virus ſpeciale ingenerari conſtat; eo quòd glandulæ, per quas tendunt vaſa bibula, ſeu *lymphatica*, ex glandula, quam ſcrofula jam exulceraverit, tumeſcunt, ſuppurant, et materiam inſigniter acrem ingenerant.

4. Verùm, etiamſi bronchocele ſcrofulâ non concitetur, tamen ab utriſque ſimul morbis in eundem miſerum interdum conſpirari concedendum eſt.

LVI.

LVI. Hujus, porrò, deformitatis, de qua diſputamus, excitantes aliæ complures cauſæ memoratæ ſunt, aqua nimirum marina epota; aqua POUHONENSIS, ferruginea nempe quæ ex uno e fontibus SPAENSIBUS exſilit; aqua prægelida; matris imaginatio; et frigus. Quum autem, quo modo hujuſmodi cauſæ tantam deformitatem efficere poſſint, animo concipere non poſſimus, de earum ſingulis plura dicere neutiquam opus eſt.

LVII. Duæ etiamnum cauſæ reſtant annumerandæ, quæ, ut veriſimillimæ ſunt, ita de his, in contrarias partes, a philoſophis nervoſè diſputatum eſt. COXIUS, peringenioſus quidem auctor, cenſet, bronchocelen quadam terræ calcariæ ſpecie, cui nomini eſt *tophus* *, concitari: contrà, SAUSSURIUS, auctor quoque jure magni nominis, inſalubri quadam aëris conſtitutione.

LVIII.

* *Tophus glareoſo—argillaceus polymorphus* LINNÆI.

LVIII. Certiores nos facit Coxius *, in iis Helvetiæ regionibus, quarum incolæ, præ cæteris, bronchocele deformantur, ſe aquam tophô corruptam comperiſſe. Hæc materia, ut idem fert auctor, calcarea eſt, cui profectò cum ea, quæ in quibuſdam Dorventaniæ partibus aquam inquinat, magna intercedit ſimilitudo. Illic enim, ut hìc itidem accidit, aqua, quamvis hac materiâ ſaturata, vaſa, quibus aliquandiu continetur, incruſtet, tamen, ex toto, pellucida eſt.

LIX. Exiſtimat hic auctor, inviſibiles hujus (LVII.) materiæ, dum aquâ ſolvitur, particulas ſeſe incognito quodam modo in glandulas colli inſinuare, et bronchocelen efficere. Hanc opinionem accepit, eo quòd Helveticus quidam chirurgus ex hujuſmodi tumoribus talem materiam ſemel iterumque exciderat,

* Vid. Cox. *Travels in Switzerland*, Vol. i. p. 399.

derat, et quòd eadem in ventriculis bovum inventa fuerat.

LX. Utcunque ingenioſè hæc (LIX.) excogitaverit Coxius, tamen ratio reddi non poteſt, quare in *thyroideam*, præ cæteris glandulis, materia (LVII.) calcarea deferatur, et in ea deponatur; cùm præſertim ea magnitudine perexigua ſit, et, eam ob rem, ægriùs, ut nobis ſaltem videtur, depoſitâ adventitiâ qualibet materiâ intumeſcere debeat.

LXI. Utrùm aqua terrâ cretaceâ ſaturata, aliquid, necne, ad calculos in urinæ veſica generandos poſſit, nondum certò compertum habemus; etiamſi in ea parte, præ cæteris, calculi inveniantur. Imo adhuc obſervavit nemo, unquam in eundem hominem ab utriſque ſimul morbis conſpirari; aliter ac reapſe accidiſſet, ſi utriuſque morbi cauſa eſſet terra calcarea.

LXII. Quinetiam, in multis orbis terrarum partibus incolæ, etiamſi ejuſmodi (LVIII.) aquam quotidie bibant, nihilo tamen minùs bona fruuntur valetudine. GLASGUENSES quibus, in quotidianum uſum, ex puteis ſuppeditatur aqua ſic impura, inſolito glandulæ *thyroideæ* incremento nunquam deformantur.

LXIII. Ad hoc, ſi tophus hanc deformitatem efficeret, non infantes ſolùm et debiliſſimi, ut accidit, ea plecterentur; ſed etiam adulti, quacunque eſſent ætate, et ii itidem qui robuſtioribus gauderent corporibus; quippe quorum illis, præ longiore ætate, plus hujus materiæ in glandula *thyroidea* derelinqueretur, et his, præ majore in eandem ſanguinis fluxu.

LXIV. Vero, porrò, haud abſimile eſt, chirurgum, ſuprà (LIX.) memoratum, in tophi opinione lapſum eſſe. Si, enimvero, certò ſciretur, materiam glandulâ (LIX.) exciſam

eandem

eandem esse, ac eam qua aqua saturatur, talis scientia Coxii (LIX.) opinionem satis stabiliret.

LXV. Ut, hunc auctorem in errore quodam, hac de re, versatum esse, credamus, idcirco adducimur; quòd eadem materia in ventriculis bovum inventa est. Atque, quoniam globi materiæ cujusdam, in bubuli generis ventriculis, reperti sunt, etiam in regionibus quibus nullus tophus est; nobis verisimillimum videtur, neque materiam glandula *thyroidea* exsectam, neque eam in bovum ventriculis inventam, aquam topho saturatam bibendo effici.

LXVI. Vero, ut nobis videtur, magis consentaneum est, materiam ex glandula (LIX.) exsectam, calculum fuisse, qui inibi, ob morbum prægressum, concreverat. In ductibus enim glandularum, quæ salivam secernunt,

calculi

calculi haud rarò formantur, et, quo minùs per eos hæc deferatur, omnino obſtant: neque profectò eſt, quare in glandula *thyroidea* non itidem formentur, cùm hæc ad illam glandularum ſpeciem pertineat.

LXVII. Opinio modò (LXVI.) dicta nobis magis arridet, eo quòd in articulis podagricorum materia cretacea ſæpenumero invenitur; quam tamen nemo aquæ ab arthriticis quotidie epotæ, vel cibo quo ab iis vivitur, attribuit. Nunc inter omnes convenit, hujuſmodi materiam, ob naturam quandam morbi nondum cognitam nedum expoſitam, in commiſſuris arthriticorum a ſanguine derelinqui, et inibi derelictam concreſcere. Ejuſdemmodi materia interdum ex pulmonibus, poſt prægreſſam gravem ſpirandi difficultatem, cum ſanguine ex vaſis quæ diſruperit, extuſſitur. Pars, demum, corporis ferme nulla eſt, ne quidem

dem cerebrum ipſum, in qua non interdum detecta eſt terra calcarea.

LXVIII. Si tophus bronchocelen concitet, quare hoc malo non itidem afficiuntur montani HELVETICI? COXIUS cenſet, eos propterea non affici, quòd, in montanis locis quæ incolunt, aqua non æquè, ac in locis planis, materiâ calcareâ ſaturatur.

LXIX. Sed, etiamſi COXIO hanc (LXVIII.) aquæ diſſimilitudinem concederemus, tamen ejus opinio infirmatur; eo quòd ex vicis duobus, ubi, in quotidianos uſus, aqua topho ſaturata adhibetur, unius incolæ hoc malo deformantur, dum neutiquam afficiuntur ii alterius. Quinetiam, ſi hujuſmodi materia bronchocelen efficiat, quare non ii quoque hoc malo deformantur, qui circa LEMANUM LACUM et alios HELVETIÆ lacus, incolunt; quippe cum in hos ex vicinis montibus, et iis etiam

tophum

tophum continentibus, magna vis aquæ nivalis influat?

LXX. Sic (LX.—LXIX.) conati probare, bronchocelen non aqua, cui ineſt terra calcarea, effici: nunc quærendum eſt, utrùm calore regionis et aëre ſtagnante effici poſſit.

LXXI. His (LXX.) cauſis concitari poſſe, aſſerit ingenioſus auctor, et multa adduxit, quibus ſuam opinionem firmaret. Sic incipit affirmans, " Qu'on ne voit des Crétins, ni " dans les hautes vallées, ni dans les plaines " ouvertes de toutes parts *." Ex his veriſimile eſt, hanc pravitatem aëre calido ſimulque ſtagnando corrupto effici. Si enim non ex calore aëris pendeat, quare non conſpicitur in vallibus elatioribus? Si non ex ejuſdem ſtagnatione, quare eos potiſſimùm deformat, qui

* Vid. Saussur. *Voyages dans les* Alpes, Tom. iv. p. 295.

qui valles profundiores montibus circumventas incolunt?

LXII. Certiores nos facit SAUSSURIUS *, in eadem valle, ad ripas ejuſdem fluminis, et ubi eadem ratione vivitur, eos, qui elatiorem planitiei partem incolunt, alacres eſſe et ſtrenuos, atque omni deformitate carere; dum ii, qui imam vallem inhabitant, bronchocele deformantur.

LXXIII. Idem, porrò, auctor adjicit, ſimul atque vallis in planitiem pateſcit, bronchocelen rariùs conſpici. Hoc obſervandi peridonea ei oblata eſt occaſio, dum ex monte MAGNI SANCTI BERNARDI deſcendebat †. Quamdiu enim, a ter ad quatuor millia pedum BRITANNICORUM, ſuper planum maris erat, nullos bronchocele affectos conſpicatus eſt; ſed reliquo

* Vid. SAUSSUR. *Voyages dans les* ALPES, Tom. iv p. 296.

† Vid. SAUSSUR. *Voyages dans les* ALPES, Tom. iv. p. 297.

quo deſcenſu, quo propiùs ad radicem montis pervenit, eo plures hac pravitate deformatos vidit. Ab imo monte, uſque ad LACUM LEMANUM, plurimos deformes conſpicatus eſt. Hìc autem mons deſinit, et vallis profunda, quæ, ex ima ejus parte, procurrit, pateſcit in planitiem; in qua, ob liberiorem aëris perflatum, incolæ nulla colli deformitate inſigniuntur.

LXXIV. Etiamſi ſatis (LXXII.—LXXIII.) conſtet, ut nobis ſaltem videtur, bronchocelen neque in planitie accidere, neque in locis, quæ ſuper planum oceani plurimùm eminent, ſed in profundis potiùs vallibus ob aëra inibi ſtagnando vitiatum; tamen, qualis huic aëri ſit natura, certò ſcire non poſſumus.

LXXV. Magnam caloris vim, quæ montibus ab omni parte excelſis magnopere intenditur, nonnihil ad aëra corrumpendum, ideoque

oque ad efficiendam deformitatem, de qua disputatur, pollere, verisimile est; eo quòd in vicis, qui ad meridiem spectant, multo plures hac insignes sunt, quàm in iis, qui ad septentrionem. Octodurum * et Branson sunt vici ex oppositis Rhodani partibus siti; et tantùm fluminis latitudinem, inter se, distant. Illius vici, qui ad septentrionem spectat, incolæ multò rariùs deformes sunt, quàm hujus, qui ad meridiem in valle Sedunorum †.

LXXVI. Vero autem neutiquam simile est, bronchocelen calore solo effici; propterea quòd, in regionibus plurimis quàm maximè æstuosis, non accidit.

LXXVII. Neque profectò, aëra corruptum effluvio ex paludibus reddi, probabile est;

* Hodie Martigni.

† Hodie Sion.

cùm præſertim febres intermittentes non concitet. Hac de re, ipſis SAUSSURII verbis loquemur: " Il paroît donc, que quand l'air " renfermé dans de profondes vallées eſt for- " tement réchauffé par les rayons du ſoleil, il " y contracte un genre de corruption dont la " nature ne nous eſt pas bien connue. Cet air " chaud et corrompu agit principalement ſur " les fibres tendres des enfans, il y produit un " relâchment conſidérable, d'où réſultent ces " gonflemens et cette atonie générale, qui eſt " le caractère ſpécifique de cette maladie *."

LXXVIII. 1. His (LXXI.—LXXVII.) cognitis, nobis videtur, aëra calore et ſtagnando corruptum, eſſe cauſam deformitatis, de qua differitur. Hæc enim nuſquam, niſi in regionibus, ubi hujuſmodi aër eſt, conſpicitur. Ex DORVENTANIS, nullos afficit, præter eos, qui humili[illegible]ra

* Vid. SAUSSUR. *Voyages dans les* ALPES, Tom. iv. p. 300.

humiliora loca incolunt; qui enim in locis editioribus vitam agunt, neutiquam deformantur. Ita quoque eſt GOTTINGÆ.

2. Quinetiam, opinionem SAUSSURII veram eſſe, veriſimile eſt, eo quòd in valle AUGUSTANI * DUCATUS, et in ea quam RHODANUS irrigat, bronchocele perquam frequens eſt. Utraſque enim, ex toto, circumveniunt altiſſimi montes; et, in hac, interfluens RHODANUS, ſuper ripas effuſus, contigua prata inundat. Hinc, ob magnam vim caloris, eximiam ſoli fertilitatem, et aëra ſtagnantem, vapor inſalubris terræ incumbit; et SEDUNI †, quod hujus vallis caput eſt, ſecundum domorum tabulatum altitudine exæquat ‡.

CAUSA

* Hodie AOSTE.

† Hodie SION.

‡ Vid. *Literary Memoirs of* MANCHESTER, vol. iii. p. 269.

CAUSA PROXIMA.

LXXIX. Cujuſque ferè morbi, imprimis autem unius, cujus naturam nondum certò cognitam habemus, cauſam *proximam* exponere, utique arduum eſt. Utcunque nos delectet hujuſmodi cauſam perquirere ; tamen, ob reconditam ejus naturam, ſæpenumero nihil quicquam, de ea, certi cognoſcere poſſumus. Ne ita nobis hìc accidat, multùm, imo permultùm, timemus ; ſed, cùm unumquemque omnes rei, quam tractat, partes, pro ſua facultate, abſolvere oporteat, ita nos hanc rei noſtræ partem quàm poſſimus breviſſimè expedire aggrediemur.

LXXX. Cui uſui inſerviat glandula *thyroidèa*, et, quem in finem, tantum ſanguinis in eam influat, in maxima adhuc dubitatione verſati ſunt medici, et etiamnum verſantur.

LXXXI. In

LXXXI. In omnes corporis partes, quarum eſt aliquid ex ſanguine ſecernere, magna, præ ea in cæteras partes, vitalis hujus liquoris quantitas artificioſo naturæ opere influit. In cerebrum, quod, forſan, glandula habeatur, maximus utique ſanguinis fluxus eſt; quippe partem, quæ ſit omnium utiliſſima, et cujus miniſterio magna ſecretio neceſſaria ſit ad vigorem cætero corpori impertiendum.

LXXXII. Ex magno ſanguinis in glandulam *thyroideam* fluxu, veriſimile itaque eſt, hanc aliquid ex eo ſecernere; eoque magis, quòd aliquam humani corporis partem nihili eſſe opinari non poſſumus. Ab hac, enimvero, glandula, quia vel nullus ei eſt ductus excercens, vel, ſi ſit, adeo ſaltem exiguus, ut nondum detectus ſit, contenderunt nonnulli, ſi quid ab ea ſecernitur, id deferri non poſſe.

LXXXIII.

LXXXIII. Obſervatu compertum eſt, glandulam *thyroideam* habere rationem quandam cum glandula thymo: quibus enim animantibus illa exigua eſt, iis hæc magna; quibus, contrà, exigua hæc, iis magna illa. Cùm ita ſit; cùmque credatur, thymum ſecernere lympham, quæ *chylum* in ductu *thoracico* diluat: vero utique neutiquam abſimile eſt, hujuſmodi lympham a glandula *thyroidea* itidem ſecerni; eoque magis, quòd, harum glandularum illâ decreſcente, hæc magnitudine increſcit.

LXXXIV. Ad ea, quæ contra hanc (LXXXIII.) opinionem olim objecta ſunt, ingenioſè replicavit MONRO; qui cenſet, lympham, quam ſecernit glandula *thyroidea*, a vaſis bibulis abſorberi, et in ductum *thoracicum* deferri; eodem, ut putat idem, modo, quo liquor ſecretus a glandulis ſuccenturiatis, aliiſque

que quæ ductibus excernentibus non inſtruuntur.

LXXXV. Nihil autem, in humano corpore, ſanguine ſecernitur, quin modò nimium ſit, modò nimis parcum, vel, ſi juſtâ ſit quantitate, modò qualitate ſaltem depravatâ. Talis liquoris a glandula *thyroidea* ſecreti depravatio, *proxima* forſitan bronchoceles cauſa haberi poteſt.

LXXXVI. 1. Vaſcula bibula, quorum natura et uſus olim, ex toto, latuerunt, nuperâ *anatomicorum* induſtriâ multo meliùs cognita ſunt. Eorum eſt, liquores, exiliſſimis arteriis patentibus in cava et vias corporis effuſos, abſorbere, et in ſanguinem irrequietum deferre: et, quo mitior eſt liquor effuſus, eo cupidiùs eum exſorbent.

2. Quod ſi qualibet cauſa liquor, ſic effuſus, acer evaſerit et noxius, oſcula vaſculorum bibulorum

bulorum eum uſque eò averſantur, ut nihil quidquam abſorbeant, MONRO ipſe, de his vaſculis prælegens, aſſerit, *lymphaticis* ineſſe potentiam, aliqua ex parte, ſecernendi ea, quæ corpori ſalubria ſunt et nutritia, at nociva reſpuendi.

3. Eâdem (LXXXVI. 2.) potentiâ *lactea* quoque aliquatenus pollere conceditur; eo quòd, *chylo* inconfecto, totus homo emacreſcit, et quòd, præparatis ex ferro quibuſdam aſſumptis, imprimis *vitriolo viridi*, nihil quicquam, ut periculo compertum eſt, abſorbetur, aut in ſanguinem circumfluum invehitur *.

LXXXVII. His (LXXXVI. 1. 2. 3.) itaque cognitis, nobis videtur, glandulam *thyroideam*, ob vitiatum (LXX.) aëra, quo bronchocelen concitari ſuprà (LXXVIII. 1.) diximus, liquorem ſalubrem, qualem, integrâ corporis

* Vid. G. FORDYCE, *Treatiſe on the Digeſtion of the Food.*

corporis valetudine, *lymphatica* abſorbere poſſunt, non ſecernere. Liquorem interea inſalubrem, quem glandula ſecernit, *lymphatica* quaſi faſtidioſa aſpernantur; neque indè aliquid, præterquam ſubtiliſſimam ejus partem, abſorbent. Craſſiores interim hujus lymphæ partes, quas vaſa bibula faſtidioſè aſpernantur, in glandula ponè relictæ, et paulatim cumulatæ, ſurculos arteriarum venarumque exiguiſſimos in ſe invitant quaſi et allectant. Hujuſmodi invitamento et allectatione quaſi moti, ſurculi ſeſe reptatu erratico omnem in partem derelictæ lymphæ inſinuant; et ſic glandulam *thyroideam* quoquoverſum amplificant, imprimis autem deorſum, quorſum fertur propriâ gravitate,

LXXXVIII.—1. Vaſa, quibus fluit ſanguis, ſurculos extremos in gluten ſanguinis in partem quamlibet vivi corporis effuſum, hìcque coactum, inſinuare, et hinc corporis, præter

naturam, incrementa vaſculis inſtrui, eo conſtat; quòd tale quid, in utero gravido, reipſa accidit. Pòſt enim, quàm comprehenderit mulier, ex interna uteri facie exſudat ſanguinis gluten; per quod ſurculi arteriarum venarumque ſeſe, in longum, porrigunt, et ſic *membranam*, quam *deciduam* appoſitè appellavit GULIELMUS HUNTERUS, efficiunt.

2. Quinetiam, liquor, ob contuſionem, ex propriis vaſis in ſubſtantiam reticulatam effuſus, ſæpenumero abſorbetur, et pars contuſa priſtinam redipiſcitur integritatem. Cæterùm interdum, tenuioribus tantummodo partibus abſorptis, per craſſiores, quæ remanent, ſurculi vaſorum, quibus fluit ſanguis, ſeſe porrigunt omnem in partem; et ſic ſtirpeſcit radicoſum tuber, quod non niſi ferro penitùs tolli poteſt.

3. Veri,

3. Veri, porrò, ſimillimum eſt, materiam, ex qua ſcirrhi tanta interdum incrementa capiunt, eſſe ſpiſſatum ſanguinis gluten: quocirca, æquum eſt concludere, liquorem ex glandulis non, ut naturaliter debet, abſorptum ſpiſſeſcere primùm, deinde in ſcirrhum dureſcere. Hac de cauſa, hepar, ut ignorat nemo, vaſculis ejus bibulis torpentibus ſive obſtructis, ſcirrho afficitur.

LXXXIX.—1. Verùm quærat forſan aliquis, quam ob rem glandula *thyroidea*, ſanguinis glutine in ea cumulato, non, ut aliæ partes, in quibus itidem hoc cumulatur, hydrope intumeſcat.

2. Ad hoc (LXXXIX.—1.) quæſitum reſpondere poſſumus, gluten in glandula *thyroidea*, præter naturam, collectum, ſolito ſpiſſius idcirco eſſe, quòd partes tenuiores abſorptæ ſunt; ideoque minùs eſſe idoneum, quod

hydropem

hydropem faciat. Quinetiam, aliis partibus aliæ ſunt actiones: quapropter, hujus partis inflammatio effuſione aut hydrope ſæpius finitur, illius reſolutione; alia pars inflammata plerumque ſuppurat, in gangrænam procliviùs incidit alia, aliaque demum, ut glandula *thyroidea*, dureſcit in ſcirrhum.

XC. His (LXXXI.—LXXXIX.) cognitis, ut credamus adducimur, *proximam* bronchoceles cauſam eſſe liquorem vitiatum, a glandula ipſa *thyroidea* ſecretum: cujus partes craſſiores, propterea quòd eas aſpernantur vaſa bibula, in glandula cumulantur et ſpiſſeſcunt; et ſic hanc non ſolùm amplificant omnem in partem, ſed etiam, ex toto, inhabilem, ad ſalubrem liquorem ſecernendum, faciunt.

CADAVERUM

CADAVERUM INSPECTIO.

XCI. Nihil ſcientiam medicinæ ampliavit æquè, ac cadaverum inſpectio. Abſque antiquorum ſuperſtitione, quæ etiamnum hominum animos aliquatenus perfundit, utique foret, ut hæc ſcientia jam olim multo latiùs patuiſſet, quàm nunc noſtris temporibus. Etiamnum quidem, in nonnullis orbis terrarum regionibus, iis in primis, quarum incolæ, præ cæteris, bronchocele deformantur, homines religione perfuſi ab inciſione cadaverum abhorrent; eò profectò uſque, ut ſi aliquem cadavera fœdare temerè auſum eſſe fama permanaret, is in ſummo vitæ diſcrimine ab irato populo verſaretur.

XCII. Hanc ob (XCI.) rem, tot tamque variæ ſunt opiniones de conditione, in qua

ſeſe

ſeſe manifeſtat glandula *thyroidea* in cadaveribus eorum, qui bronchocele affecti ſunt. Non ſolùm enim hac de conditione, varias in partes, diſputatur; ſed nonnulli etiam denegârunt, glandulam *thyroideam* eſſe partem, quæ tubere, de quo hìc agitur, deformatur.

XCIII. Ut perpaucæ tantummodo glandulæ *thyroideæ* bronchocele affectæ, ſunt, poſt mortem, inciſæ, et his quidem aliquantùm diverſa erat facies; ita unuſquiſque medicorum, quam ei incidenti faciem una glandula oſtenderit, eandem omnibus eſſe perperam exiſtimavit. Nonnulli, imprimis PROSSERUS, opinantur, glandulam, quam tumefecerit bronchocele, revera hydropicam eſſe; et, *ovariorum** inſtar, in miram magnitudinem, in quam interdum increſcit, aquâ diſtendi. Fert, enimvero, GOOCHIUS†, ſe, inciſo cadavere, hydropicam

* PROSSER. *Treatiſe on the Cure of the Bronchocele.*

† Vid. GOOCH. *Caſes and Remarks on Surgery*, p. 99.

hydropicam hujuſmodi bronchocelen patefeciſſe.

XCIV.—1. Glandulam *thyroideam* interdum aquâ reapſe diſtendi, profectò ii non ſumus, qui negemus. Verùm, quia ſemel tantummodo iterumve aquâ diſtenta eſſe enarratur; non idcirco, ſemper ſic diſtendi, cùm bronchocele afficiatur aliquis, concludere æquum eſt.

2. Inciſione quidem nullâ, ſolo tactu judicare poſſumus, glandulam *thyroideam* eorum, qui bronchocele deformes ſunt, rariſſimè aquâ tumefieri. Si enim aquâ intumeſceret hæc glandula, contrectans hanc medicus fluctuoſam aquam perciperet. Tumor, porrò, non, ut ſolet, duriuſculus eſſet, ſed potiùs mollicellus; et quælibet ejus pars, ſi qua attrectatu explorantis medici e ſitu dimoveretur, in hunc pòſt paulò reſiliret.

XCV.

XCV.—1. Non defuerunt quidam, quibus viſum eſt, glandulam *thyroideam* eorum, quibus collum tubere, de quo differimus, degravatur, meliceride tumefactam eſſe. Quibus autem placuit hæc opinio, ii errore quodam lapſi eſſe nobis videntur: quippe cùm, partem aliquam vicinam melicerià tumefactam, pro ipſa glandula *thyroidea*, inſcienter habuiſſe, veri ſit quàm ſimillimum.

2. Verùm concedendum tamen eſt, pus interdum, licèt rariſſimè, in media glandulæ *thyroideæ* parte ingenerari; nam hoc nonnunquam, in Magna ſaltem Britannia, accidere dicitur.

3. A. Noſmet quidem ipſi nunquam aut hanc glandulam pure ſic tumefactam incidimus, aut ab alio inciſam præſentes conſpicati ſumus; ſed familiaris fide digniſſimus, cui talem inciſam introſpiciendi eſt occaſio bis oblata;

lata, omnia nobis enarravit ordine, quo præsens viderat.

B. Utræque glandulæ solito non modò ampliores erant, sed duriores quoque; et insuper fabricâ usque eò depravatæ, ut specie scirrhos, quàm glandulas, potiùs simularent. Vasa, porrò, quibus continebatur sanguis, præter solitum, perampla erant.

4. Glandula *thyroidea* bronchocele tumefacta, quam ferro patefecit DESAULTIUS, eandem ferme, quam glandulæ, alibi corporis, duratæ, speciem prætulit *.

DIAGNOSIS.

XCVI. Cùm alii tumores multi sint, qui asperam arteriam, parteſque huic contiguas,

* Vid. DESAULT. *Journal de Chirurgie*, Tom. iii. p. 6.

interdum afficiant; ita medicos cavere oportet, ne horum aliquem pro bronchocele improvidè aut inſcitè habeant.

XCVII. Iis, quibus ſtirpeſcit ſcrofula, nonnunquam accidit, ut *lymphaticæ* colli glandulæ tumeſcant; eò uſque, ut glandulæ *thyroideæ* tumefactæ potiùs, quàm glandularum per quas fluit lympha, ſpeciem offerant. Nobiſmetipſis ſemel contigit, Londinii videre, in Sancti Thomæ Valetudinario, infantem, cui glandulæ *lymphaticæ*, in molem proprii capitis dimidii, intumuerant.

XCVIII.—1. Harum verò (XCVII.) glandularum tumores plerumque, ab iis glandulæ *thyroideæ*, permultùm ſpecie, ſede, colore, et ſignis comitantibus differunt.

2. Glandula *thyroidea*, quoties intumeſcit, ipſa utique primùm increſcere conſpicitur, deinde

deinde figuram ei tumefactæ propriam paulatim induere.

3. Quinetiam, inferiùs in collo bronchocele infidet; ſuperiùs, contrà, ſcrofula, et paſcit potiſſimùm glandulas circa angulum inferioris maxillæ poſitas.

4. Ad hoc, glandulæ, quas tumefecerit ſcrofula, non decolores ſunt; ſimulque faciei eorum, quos deformavit hoc vitium, conſtat color naturalis.

5. Præterea, ſcrofulam, non autem bronchocelen comitantur tumores aliarum corporis partium; atque, qui ad illam proclives ſunt, ii labroſi plerumque ſunt, cute molliculi, vultu rubicundi, capillis albidi.

6. Eorum, demum, quos ſcrofula fœdat, utrique parentes, vel ſaltem alteruter, hoc itidem

dem morbo olim, dum infantes erant, laborâſſe percontatione reperientur. Cùm verò utrique morbi eodem ferè vitæ tempore accidant, nihil certi, quo, unus altero, dignoſcantur, percunctando de morbis parentum reperire poſſumus. Quòd ſi in memoria teneamus, in regionibus omnino, inter ſe, diſſimilibus vigere hos morbos, et ſcrofulam, aliter ac bronchocelen, mares æquè ac fœminas afficere, non judicando, uter duorum adſit, labemur.

XCIX.—1. Tumores quoque ſaccati, qui haud rarò partibus aſperæ arteriæ incumbentibus increſcunt, poſſunt pro bronchocele haberi.

2. His verò tumoribus plerumque ineſt meliceriæ natura; neque tam maturè, primis infantum ætatulis, collo ſuperincreſcunt. Quin et, latiùs, quàm tumor glandulæ *thyroideæ*, patent

tent omnem in partem. Tardiùs, insuper, crescunt; et, post tempus naturâ constitutum, contentus liquor manifestè fluctuari a contrectante percipitur. Molles, porrò, sunt, qualesque aliquantùm cedunt compressioni. Quippe, denique, cùm in tela adipali consistant, ab una haud rarò aure ad alteram simul patent; quamvis cutis, ad extremum usque, colore naturalis maneat.

C.—1. Amplificationes itidem, quæ sanguine reseratis arteriis effuso fiunt, cute etiamnum integrâ et conglutinatâ, et quibus nomini sunt *aneurismi*, in collo interdum accidunt, et tumorem efficiunt bronchocele quadantenus similem.

2. Cùm plurimæ arteriæ per collum tendant, subito quolibet et valido nisu ex his aliqua lacerari potest, et sic supervenire *aneurismus*. Hanc ob rem, antiqui, qui, propter humani

humani corporis fabricæ ignorantiam, opinione morborum ſæpe lapſi ſunt, exiſtimârunt, luctando, tuſſiendo, vagiendo, vomendo, aliiſque conſimilibus niſibus, concitari bronchocelen, quam *accidentalem*, ſeu *ſanguinolentam*, appellârunt.

3. *Aneuriſmo* autem propria quædam ſigna ſunt, quibus a bronchocele internoſcatur. Subitò ſeſe, poſt niſum violentum, attollit, et compreſſioni cedit. Totus micat, arteriæ more; et, ſi amplus ſit, efficit, ut, in carpo, arteriæ percuſſus intermittant.

CI.—1. Internâ aſperæ arteriæ membranâ, graviter tuſſiendo, violentove quolibet alio niſu, inter duas cartilagines, extruſâ, interdum, ut fert GIRARDUS, GALLICUS auctor, tumor efficitur, qui incipientem bronchocelen refert. Hujuſmodi tumorem *bronchocelen ventoſam* antiqui appellârunt.

2. Hujus

2. Hujus verò generis tumores, *aneuriſmorum* inſtar, ſubitò ſeſe elevant; molles ſunt; et comprimentibus eos digitis cedunt. Neque autem, more arteriæ, micant; neque aliquid liquoris intus fluctuare tactu percipitur.

3. Inter ejuſdemmodi, inſuper, tumores et bronchocelen hoc intereſt, quòd, tempeſtivâ curâ adhibitâ, extruſa membrana, quæ eos conſtituit, retrudi in ſedem poteſt.

CII. Accidat, demum, ut reticulata circa collum tela craſſeſcat, et hinc enaſcantur ſteatomata, quibus cum incipiente bronchocele intercedat aliqua ſimilitudo. Bellius*, chirurgus apprimè præclarus, cenſet, glandulam *thyroideam* non tam ſæpe malè affici, quàm nonnulli opinantur: certioreſque nos facit, ſibi bis oblatam occaſionem eſſe obſervandi, in patefactis ferro cadaveribus eorum, quorum colla,

* Vid. Bell. *Syſtem of Surgery*, Vol. v. p. 518.

colla, ante mortem, bronchocele intumuiſſe nonnullis viſa ſunt, glandulas *thyroideas* non modò non tumefactas, ſed ſolito quidem minores; atque tumores, qui, pro bronchocele, habiti fuerant, ex percraſſa tela adipoſa conſtitiſſe.

CIII.—1. Hujus (CII.) generis tumores utique accidant: ſed, quali naturâ ſint tumores colli, ſcire poſſumus ſciſcitando ægrum, unde ipſe venerit, et qua ipſius ætate tumores primùm inceperint.

2. In memoria quoque tenendum eſt, bronchocelen ſæpenumero initio figuram ſibi propriam ducere, et haud rarò, etiam cùm multùm increverit, retinere.

3. Paulatim, inſuper, bronchocele incipit, et, uſque ab initio, doloris ferè expers eſt; dum tumores colli ex tela adipali craſſa, præ-

ter

ter ſolitum, reddita, plerumque a vi quadam extrinſecùs illata incipiunt, atque dolorem et inflammationem capiunt.

4. Ut, demum, initio ambigua bronchocele forſan appareat, tamen, poſtquam aliquantùm increverit, omni alio morbo eam dignoſcere in proclivi erit.

PROGNOSIS.

CIV. Unus bronchocele eſt ex morbis, de quorum eventu nihil temerè prædicere medicos oportet. Utrùm enim ad ſanitatem, necne, perducatur, certò prædivinare nemo poteſt. Etiamſi verò ita ſit, tamen non omni tempore æquè infauſtum eſt de hujus morbi eventu judicium.

CV.—1. Si ægra tenerâ etiamnum ætate ſit, et firmâ corporis conſtitutione; ſi tumor parvus et mobilis, neque diu exſtiterit; et ſi illi in poteſtate ſit in locum ſalubriorem migrare: tum bonum eſt.

2. Sin, contra ea, tumor aliquandiu perſtiterit; magnus jam ſit, et immobilis; malum eſt. Malum quoque eſt, ſi inceperit tumor in regionibus, in quibus cauſæ (LXX.) excitantes multùm valent. Peſſimum, demum, eſt, ſi ſupervenerit fatuitas aut inſanitas: tum enim neque expectanda eſt ſanatio, neque cita mors timenda.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM

CVI. Hujus morbi nonnulla ſigna explicatu tam facilia ſunt, quàm difficilia alia.

CVII. *Faciei* (XXXIII.) *color*—tumore efficitur; qui, ob magnam molem, venas *jugulares* comprimit, et ſic obſtat, quò minùs ſanguis expeditè a capite ad cor refluat.

CVIII. *Glandulæ ipſius* (XXXIII.) *color*—propriis vaſis multùm ampliatis et compreſſis tribuendus eſt.

CIX.

CIX. *Spirandi* (XXVIII. 1. 2.) *difficultatem*—, quæ interdum adeſt, efficit tumor aſperam arteriam comprimens; et ſic, quò minùs anima per hanc, ut naturaliter oportet, in pulmones et ex pulmonibus reciprocetur, impediens.

CX. *Debilitas* et *torpor* (XXXIV.)—, quæ hunc morbum aliquando comitantur, pendere videntur ex cerebro malè ſe habente. Hæc enim ſigna, fortaſſe, minorem tantummodo gradum ejus cerebri perturbationis, ſeu inſaniæ, manifeſtant, quæ in iis bronchocele affectis interdum apparet.

CXI. Quam ob rem glandula *thyroidea*, præ cæteris, bronchocele afficiatur, expedire non poſſumus. Sed in ſcientia, quæ, velut medicina, omnino, vel ſaltem magna ex parte, experientiâ innititur, multa ſunt, quæ, præ hominum ignorantia, nondum ſatis intelliguntur.

tur. Nihil autem desperandum est. Futuri, forsan, medici, quorum experientia nostrâ latiùs pateat, hanc rem a nobis desideratam luculenter exponant.

RATIO MEDENDI.

CXII. Ex morbis, quibus tentantur homines, perpauci sunt, qui æquè, ac is de quo disputamus, sanatu difficiles sunt.

CXIII. Quibus in regionibus bronchocele levis tantùm est, ut in quibusdam Angliæ partibus, in iis ad medicamenta interdum decursum est, quæ eam sanârunt. Cæterùm in Helvetia, ubi non modò sæpissime, sed gravissimè quoque, fauces urget, homines sanationem desperantes, rarò, postquam aliquandiu increverit, ad medicamenta, quibus tollatur, confugiunt.

CXIV.

CXIV. Vero autem minimè conſentaneum eſt id, quod nobis perſuadere conati ſunt nonnulli, qui HELVETIAM peragrârunt, aut in ea aliquandiu peregrinati ſunt; eos, nempe, quibus colla hujuſmodi tuberibus deformia ſunt, ſibi ornamento ducere, et eos quidem deſpicatui habere, quibus aliter videtur *.

CXV.

* A traveller, in his way to ITALY, found himſelf in a country where the inhabitants had each a large excreſcence depending from the chin; a deformity, which, as it was endemic, and the people little uſed to ſtrangers, it has been the cuſtom, time immemorial, to look upon as the greateſt beauty. Ladies grew toaſts from the ſize of their chins, and no men were beaux whoſe faces were not broadeſt at the bottom. It was Sunday; a country church was at hand; and our traveller was willing to perform the duties of the day. Upon the firſt appearance at the church door, the eyes of all were naturally fixed upon the ſtranger; but what was their amazement, when they found that he actually wanted that emblem of beauty, a purſed chin. Stifled burſts of laughter, winks and whiſpers, circulated from viſage to viſage; the priſmatic figure of the ſtranger's face was a fund of infinite gaiety. Our traveller could no longer patiently continue an object for deformity to point

CXV. Curatio tam ad ea reſpicit, quæ facienda ſunt, ne hæc deformitas accidat, quàm ad ea, quibus præſens tollatur.

CONSILIUM PRIMUM.

CXVI. Aëre vallibus corrupto bronchocelen utique concitari, ut ſuprà (LXXVIII.—1.) memoravimus, vero adhuc ſimilius eſt; eo quòd hanc incolumes effugiunt infantes, ſi illinc in loca ſalubriora primo quoque tempore ſubmoveantur.

CXVII. AUGUSTÆ PRÆTORIÆ* et in VALLE RHODANI, in quibus, præ cæteris locis, incolæ bronchocele

point at. "*Good folks,*" ſaid he, "*I perceive that I am* "*a very ridiculous figure here; but I aſſure you I am* "*reckoned no way deformed at home.*"

Eſſays by OLIVER GOLDSMITH.

* Hodie AOSTE.

bronchocele deformari haud ita pridem ſolebant, magiſtratus civiles nunc ſummam dant operam, ne hinc quid deformitatis tam frequenter capiant infantes ; et vix dubitandum eſt, quin, haud multo pòſt tempore, voto res ceſſerit.

CXVIII. Opulentis aliquandiu mos fuit, tempeſtivam curam adhibendo præcavere, ne ex ſe nati fierent collo deformes, et enimvero optatò res accidit.

CXIX.—1. Hunc in (CXVIII.) finem, infantes ſimul ac nati ſubmoventur in montana, ubi vitam agant, dum octavum vel decimum ætatis annum compleverint, et firmam, pro ætate, membrorum compagem nacti ſint. Tum in natale ſolum reducuntur, totum corpus ſani ; et intuentur, non ſine mixta cum puerili ludibrio miſericordia, eos infelices ſibi ætate æquales, quorum collis, propterea quòd,

inopibus

inopibus parentibus nati, domi interea manebant, tuber viſu deforme ſuperincrevit.

2. Quinetiam, providente curâ maritorum, qui pulchræ prolis patres eſſe volunt, nonnullæ mulieres, quibus omnia abundant, exacto ferme tempore, in montanâ ſubmoventur, eo conſilio ut peregrè pariant. Imò etiam nonnullæ, dum gerunt utero, uxores, futuræ prolis pulchritudinis adhuc magis providæ, in editioribus locis aliquot ante menſes peregrinantur, quàm parturiant; neque unquam, tali cura adhibita, præter ſpem parentum advenit.

CXX. Cæterùm, cùm inopibus, quibus deſunt omnia, unde infantes peregrè alantur, ſic prolis formæ providendi non detur facultas; ita illis mos eſt ad alia, quibus liberorum deformitatem præcaveant, decurrere.

CXXI.

CXXI.—1. Hoc (CXX.) consilio Saussurius suadet parentibus, ut infantes quàm possit maximè a solis ictibus defendant, et iis cubicula præbeant, quæ saluberrimum habeant aëris perflatum. Debent, porrò, ut idem suadet auctor, cibo satis nutriente et concoctu facillimo nutriri; simulque temperatè bibere acetum mixtum cum aqua, quod non solùm corpora eorum refrigerat, et putredini obstat, sed etiam ab omnibus, etiam pauperrimis, comparari potest *.

2. Quinetiam arbores, ut opinatur idem Saussurius, circa domos casasve inserendæ sunt, quæ aëra refrigerent et purificent. Insigniter itidem proderit exsiccare loca humida, et ex paludibus stagnantem aquam aliorsum derivare.

* Vid. Saussur. *Voyages dans les* Alpes, tom. quatrieme, p. 302.

3. His (CXXI.—1. 2.) adjicere nobis liceat, balneum frigidum, ſi in id quotidie infantes a partu ferme immergant matres, donec illi compagem membrorum ſatis firmam nacti ſint, plurimùm forſan profuturum, imo, quò minùs collo ſuperincreſcat bronchocele, obſtaturum. Hanc opinionem accepimus, eo quòd, balneum frigidum multùm, contra alios morbos, pollere, quibus, ob debilitatem et irritabilitatem, opportuni ſunt infantes, periculo compertum habemus.

CONSILIUM SECUNDUM.

CXXII. Ut bronchocele diſcuteretur, ad medicamenta tam externa quàm interna decurſum eſt.

CXXIII. *Fricio.*——Intumeſcente primùm glandula, quippe enim medicina nihil valeat, niſi

niſi ad eam priùs decurratur, quàm multùm increverit tumor, aut glandula proprio muneri impar reddita fuerit, multùm forſitan proſit, huic oleum, cui ineſt *camphora*, ſubinde infricare; et, per intervalla, emplaſtra ex hydrargyro, ſtimmi, vel ſapone, ſuperimponere. Quinetiam, in tali uſu perſeverare, etiam dum medicamenta in ventriculum aſſumuntur, inſigniter fortaſſe proficiet.

CXXIV. *Fonticuli*,—prope glandulam *thyroideam*, facti; vel *emplaſtra exulceratoria*—huic ipſi, ut nonnulli dicunt, ſuperimpoſita, interdum, ne magis increſceret, obſtiterunt.

CXXV. *Exſtirpatio*.—1. Si tumor glandulæ *thyroideæ* ſolitis remediis non cedit, cenſent nonnulli, hanc ipſam exciſorio ſcalpro eradicitùs tollendam eſſe.

2. Si, ſine periculo, hæc glandula exſtirpari poſſet, dubitandum profectò non eſſet, quin

quin quàm primùm ſic tollenda: plerique enim ex duobus malis, quorum alterutrum perpetiendum eſſet, perpeſſu facilius eligerent; et graviorem dolorem qui brevior eſſet, quàm leviorem qui longior, aut inſignem et perennem deformitatem, potiùs tolerarent.

3. A. Sine autem periculo eradicari nequit glandula *thyroidea*. Excidi enim non poteſt, quin ſimul intercidendi ſint ſurculi plurimi non modò *nervi recurrentis*, ſed *arteriarum* quoque *carotidum* et *ſubclavianarum*.

B. Quin et, intumeſcente glandula, vaſa ejus propria, quibus fluit ſanguis, ſimul ampliantur: quam ob rem, illa haud priùs multùm increſcit, quàm hæc adeo ampla evadunt, ut non interſcindi poſſint, quin vulnere magna vis ſanguinis ſubitò exſiliat. Ob profundum, porrò, ſitum, vel non omnino, vel ſaltem non ſine ſumma difficultate, ligari poſſunt: neque

ita

ita profectò comprimi poſſunt, ut ſiſtatur ſanguis, niſi tali vi adhibita, qualis ſpiritum, ex toto, intercluderet.

4. Prorſùs verò exiſtimat BELLIUS, dignus auctor, cui facilè accredamus, glandulam *thyroideam*, nondum multùm tumefactam, poſſe impunè ſtirpitùs excidi *. Hujuſmodi autem excifionem neutiquam pòſt tentandam eſſe, quàm multùm jam intumuerit glandula, inter omnes ferme, qui de hac re ſcripſerunt, auctores convenit †.

5. ALBUCASIS

* Vid. BELL. *Syſtem of Surgery*, Vol. v. p. 526.

† Anno milleſimo ſeptingenteſimo nonageſimo primo, peritus ſed infelix DESAULTIUS, in Valetudinario LUTETIÆ PARISIORUM, quod, ipſorum linguâ, *Hotel Dieu* appellant GALLI, cautiſſimè ſecando glandulam *thyroideam*, quæ bronchocele eò uſque increverat, ut quinque digitos in ambitum eſſet, penitùs exſtirpavit. Providus autem futuri periculi, hic chirurgus arterias glandulæ

5. ALBUCASIS perhibet, imperitum chirurgum, qui glandulam *thyroideam* exſcindere temerè auſus eſt, interciſis amplis colli arteriis, laborantem inſcienter jugulâſſe *. Funeſtæ aliæ complures hujus glandulæ exſectiones a vetuſtis auctoribus memoriæ produntur.

6. Duæ autem ejuſdem glandulæ exciſiones a GOOCHIO † memoratæ, imprimis dignæ ſunt, ad quas animum advertamus.

A. De harum una ni deſtitiſſet chirurgus, laborans eſſet ſub manibus intermortua profluvio

glandulæ thyroideæ, tam ſuperiorem quàm inferiorem, miniſtrâ acu aduncâ, priùs ligavit, quàm eaſdem interſecare auſus eſt. Adeo ad votum reſpondit hæc exſtirpatio, ut uno ferme menſe ulcus ad ſanitatem perductum ſit ‡.

* Vid. FRIEND. *Hiſtor. Medic.* p. 281.

† Vid. GOOCH. *Medical and Chirurgical Obſervations*, p. 136.

‡ Vid. *Journal de Chirurgie*, tom. iii. p. 5.

fluvio ſanguinis. Re ſic infectâ relictâ, maxima opera data eſt, ut ſiſteretur ſanguis; ſed fruſtra. Hoc continenter exſiliente, et decidentibus ideo viribus, infelix unâ hebdomadâ extremum ſpiritum edidit.

B. Inter alteram, etiamſi chirurgus et apprimè peritus eſſet, et manu promptiſſimus, tamen, interſectas arterias ligandi ſpe ſemel iterumque deſtitutus, haud multùm aberat, quin, ſub ejus manibus, infelix animam cum ſanguine effudiſſet.

7. Huc accedat, quòd, glandulâ *thyroideâ* exſectâ, malum ulcus ſupervenit, et ſanatu difficillimum. Certiores nos facit TURNERUS *, inciſæ bronchocele, quæ collo fœminæ ſuperincreverat, ſuperveniſſe immedicabile ulcus, quod, adhibitâ fruſtra medicinâ, non cicatricem, ad mortem uſque, duxit.

CXXVI.

* Vid. TURNER. *Art of Surgery*, p. 196.

CXXVI. *Setacea* et *Urigo*.—Nonnulli putant, profuturum transfigere glandulam *thyroideam* acu, cui eſt filum eo conſilio alligatum, ut quotidie paulatim pertraheretur; aut eandem cauſtico quolibet admoto urere: ſed timendum eſt, ut nobis ſaltem videtur, ne, et ex pertracto filo et ex urigine, aut mala ſigna modò (CXXV. 6. 7.) dicta, aut carcinoma, ſuperveniant.

CXXVII. *Urinam citantia*.—Vis, quæ ovorum putaminibus in calcem redactis ineſt, urinam citandi et tumores digerendi, fuſè a quibuſdam prædicata eſt. Imo etiam memoriæ proditur, hoc medicamentum, a duobus ſcrupulis ad drachmam, bis quotidie aſſumptum cum vino meraciore, bronchocelen uno menſe diſcuſſiſſe.

CXXVIII. *Coventriæ Medicamentum*.—Illud verò (CXXVII.) medicamentum alii ceſſit, quod

quod efficaciſſimum eſſe dicitur; præclaro, nempe, *Coventriæ* medicamento, quod diu celatum eſt, et dominis magno lucro erat. Quæ WILMERUS de hoc medicamento dixit, ea ipſius verbis citabo.

NUMBER I.

CXXIX. 1. "The day after the moon hath "been in the full, the patient is to take a vo- "mit. On the ſucceeding day, a purge is to "be adminiſtered.

2. "On the third night, on going to bed, "one of the following boluſes is to be placed in "the mouth under the tongue, and being ſuf- "fered to diſſolve gradually, is to be ſwallow- "ed. This bole is to be repeated the ſix ſuc- "ceeding nights.

* " ℞ *Calcined Spunge,*

" *Cork calcined,*

" *Pumice ſtone burnt* ; of each ten grains,
" to be ſeparately powdered, and made into a
" bole with ſyrup, honey or mucilage.

3. " On each of the ſeven days, the patient
" takes the preceding bole, the following
" powder, is to be adminiſtered in the fore-
" noon in any proper vehicle.

" ℞ *Flor. Cham. pulv.*

" *Rad. Gentian. pulv.*

" *Sem. Centaur. min. pulv.* $\overline{\text{a a}}$ gr. v. Miſce.

4. " On the eighth day, the purge is to be
" repeated. In the wane of the ſucceeding
" moon,

* Etiamnum dubium eſt, utrùm ſpongia ab animantibus, an ab iis potiùs quæ terrâ gignuntur, producatur. Ex ſale forſan volatili pendent virtutes ſpongiæ uſtæ officinarum.——Veſiculæ ſolius bombicis majorem hujus ſalis quantitatem continent.

" moon, the ſame proceſs is to be entered in-
" to, and repeated a third time, unleſs the diſ-
" eaſe is cured before. The vomit is only to
" be taken before the firſt courſe of medi-
" cines.

NUMBER II.

CXXX. 1. " ℞ *Spongiæ calcinat.* 3 ſs.
" *Mellis* q. ſ. *pro bolo.*

" The Preparation.

" Tie the beſt ſponge up hard with wet
" pack thread, and calcine it in a crucible."

2. Hi boli, eodem, quo ii ſecundum præ-ſcriptum antè (CXXIX. 2.) dictum præparati, modo adhiberi debent. Quinetiam, *pulveres amari*, ut ſuprà (CXXIX. 3.), aſſumendi ſunt; et evacuandum itidem corpus.

CXXXI.

CXXXI. Addit WILMERUS, chirurgum præclarum, qui, quantùm pollerent hæc (CXXIX.—CXXX.) medicamenta, comperit, certiorem eum feciſſe, alterutrum plùs profuturum et certiùs, ſi, dum increſcit Luna, alvus aut vomitus moveatur.

CXXXII. 1. *Proſſeri Pulviſculi.*—Certiores nos facit PROSSERUS *, pulviſculos ſequentes quàm optimè reſpondere. Per duas treſve hebdomadas, ex his unum manè, unâ duabuſve horis ante jentandi tempus, aſſumendum curat; aliumque, quintâ circiter ſextâve horâ poſt meridiem. Pulviſculi componuntur ex

Cinnab. Antim. opt. lævigat.
Milliped. præparat. et in pulv. redact. ſingul. gr. xv.
Spong. in calc. redact. ℈i. miſtis.

2. His

* Vid. PROSSER. *Treatiſe on the cure of the Bronchocele.*

2. His (CXXXII. 1.) per duas treſve hebdomadas aſſumptis, æger eorum uſum per unam hebdomadam intermittere debet; dein iterum totidem et tamdiu, ut antea, aſſumere; et, inſuper, unaquaque nocte, horâ ſomni, tria grana maſſæ compoſitæ ex

Hydrargyr. ʒv;
Terebinth. Straſburgenſ. ʒii;
Extract. Colocynth. comp. ϑiv;
Pulv. Rhabarb. ʒi.

Tere hydrargyrum cum oleo terebinthino, donec globuli evanuerint; deinde, cæteris additis, omnia ſimul tere in maſſam. Si oleum terebinthinum nimis ſpiſſum eſt, pauxillo olei olivarii diluendum eſt.

3. Ante pulviſculos aſſumptos, alvus bis terve *manna* cum ſalibus, vel alio quovis cathartico leni movenda eſt; et, cùm hæc medicamenta

menta alvum tardè cieant, tempus ſatis longum priùs intervenire debet, quàm pulviſculi adhibeantur *.

CXXXIII. *Spongia uſta*,—in actis *Societatis Medicæ Londinenſis*, fertur bronchocelen bis pòſt curâſſe, quàm alia medicamenta haudquaquam ad ſpem reſponderant. Per menſem, unaquaque nocte, horâ ſomni devorabatur paſtillus, qui ſexta erat pars maſſulæ compoſitæ ex

Spong. uſt. ʒi ;
Sirup. ſimp. q. ſ. ad *paſtill. faciend* †.

CXXXIV.

* Doſis et hujus medicamenti, et *Coventriani* (CXXIX. 2. 3.—CXXX. 1.) dicti, ea eſt, quæ adultis conveniat ; quocirca, a medico, qui hæc aſſumenda curat, ad ætatem ægræ et vires accommodanda eſt.

† Vid. *Memoirs of the Medical Society of* LONDON, Vol. i. p. 217.

CXXXIV. Hæc (CXXII.—CXXXIII.) ſunt medicamenta, quæ, contra pertinacem deformitatem, de qua diſputatur, plurimùm pollere reperta ſunt. Certior, enimvero, factus ſum, uſtam ſpongiam ſolam voto medici ceſſiſſe.

CXXXV. *Aqua cocta ex mezerio; pilulæ ex hydrargyro; linimentum ex ſapone.*—In Valetudinario EDINBURGENO nuper bronchocele erat, quam HAMILTONIS, peritiſſimi ſanè medici, erat curare. Hic aſſumendam *aquam coctam* ex *mezerio*, atque *pilulas* ex *hydrargyro muriato forti*; et, inſuper, tumorem ipſum *linimento* quodam ex *ſapone* illinendum, aliquandiu curavit. Operam verò perdidit; nam, his factis, malum nihilo magis ad ſanitatem perductum eſt.

CXXXVI.

CXXXVI. *Hydrargyrus.*—Priuſquam hanc diſputationem ad umbilicum perducamus, nobis fas ſit, remedium ſuggerere, vel ſaltem, ut cupidiùs adhibeatur, ſuadere. Hoc enim facto, nobis perſuademus fore, ut tumor evaneſcat.

CXXXVII. 1. Medicamentum, quod nobis in mentem venit, eſt *hydrargyrus*, uſque ad ſalivam movendam, adhibitus. Hunc in finem, non ſolùm *unguentum ex hydrargyro* corpori affricandum eſt; ſed interea etiam *pilulæ cæruleæ*, vel aliud quoddam mite ex eodem præparatum, ore, dum fluat ſaliva, aſſumendæ. Quò hæc voto medici cedant, in uſu aliquandiu perſeverandum eſt.

2. Hydrargyrum, ad duritias glandularum emolliendas, multùm, imo permultùm, pollere, jamdudum

jamdudum periculo compertum eſt ; et nihil eſt, quantùm ſcimus, quamobrem de ejus vi, contra bronchocelen, deſperemus.

3. Certò, porrò, compertum habent medici, hydrargyrum modo quodam ſalutari ſed incognito ita glandulas incitare, ut liquorem mitem ſecernant. Quid igitur obſtat, ne multùm poſſit contra bronchocelen, quæ, ut ſuprà (XC.) diximus, e vitiata glandulæ *thyroideæ* ſecretione oritur.

4. Proderit, inſuper, hydrargyrus, ut nobis videtur, vaſa bibula, quæ languefecerit acre quoddam in ipſa glandula *thyroidea* ſecretum, ad proprium munus fungendum incitando.

CXXXVIII. *Roborantia.*—Si, id quod nonnunquam accidit, corpus magnopere jam

debilitatum fuerit, in auxilium vocanda ſunt medicamenta, ex iis quæ firmant et roborant; quorum longè optima ſunt *cinchonæ cortex* et *vinum*.

CXXXIX. Corpore ſic (CXXXVIII.) firmato, nullum, ſi ætate tener ſit æger, periculum erit, ne recreſcente tumore deformetur.

CXL. 1. *Cicuta*.—Utrùm, necne, *cicuta* proficeret iis, quorum faucibus ſuperincreverit bronchocele; imprimis, cùm caſu aliquo infelice glandula jam ſuppuraverit?

2. *Ignis electreus*.—Utrùm cætera, necne, medicamenta adjuvarent aut igniculi *electrei* glandulâ *thyroideâ* eliciti, aut ictus *electrei* in ipſam hanc glandulam directi?

CXLI.

CXLI. Hæc (CXL. 1. 2.) quæſita dijudicent futura experimenta; experientia enim fideliſſima eſt medicinæ miniſtra, et non fallax medicorum præceptrix.

FINIS.